

) o (

per errorem aliquem regiminis ex pede retrocessisset podagra, paulo post deprehensa est nasum cum ingenti cruciatu infestare circa locum adhaerescens ossi cartilaginis, donec ex vasculis tumens ruptis ichorosi aliquid & mox cretaei exsudaret, superueniens vero nouus paroxysmus podagricus plenissime liberaret. Odontalgia frequens ex eadem causa (a) GVIL. MVSGRAVIO notata est, dum sensibile periosteum, quod radices dentium cingit, occupatur. Simili modo dolores in synchondrosi ossium maxillae inferioris nati sunt, quod antiquis mentagram audire quidam crediderunt, quibus tamen potius haec vox foeditatem quandam faciei, & prauam scabiem ad lichenes pertinentem notat (b). In collo natas anginae species & suffocationis pericula reperies apud eundem (c) MVSGRAVIUM. Adde propriam PROSPERI ALPINI experientiam, qui tribus, inquit, (d) *ab hinc annis angina exitiali laborauimus, in qua praedictis auxiliis consueti nobis podagrici dolores a medicis fuisse non sine fructu reuocati.*

§. XI.

In pectore plurimi etiam obseruantur morbi huius originis, imprimis asthma conuulsuum (e) & palpitationes cordis. Sane ingens illa respirationis difficultas pendet a constrictione neruearum fibrillarum pulmonicas vesiculas retis instar ambientium, & a pari vago orientium, unde spatia aeri ingredienti debita arctantur. Hoc asthma saepe subito est lethale, si minus, certe aegrotantium

(a) De arthrit. anom. Cap. XII.

(b) Sennert. Cap. I. De Nat. arthrit.

(c) Lib. cit. Cap. XIII.

(d) Cap. VI. Libr. XI. Med. method.

(e) Vid. III. HOFFMANNI Dissert. de podagra retroc. §. IV. eiusd. Prax. med. Reg. IX. tit. D. Vit. *Ridlini obs.* 883. p. 16. curat. med.